



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. An sit evidens ratione naturali dari in entibus causam materiale
substantiarum, quam materiam primam nominamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

esse effectui conferendo illi suammet numero entitatem, & interne componendo illum: efficiens autem & finis, longe aliter causant, & in hoc conveniunt, quod non componunt intrinsecè effectum, & ideo causæ extrinsecæ communiter appellantur. Igitur in ratione causæ abstrahi potest ratio communis materię & formæ, quæ non sit communis aliis causis, & è converso: ergo recte diuiditur causa immediate in intrinsecam & extrinsecam, & deinde illa in materiale & formalem: hæc vero in efficientem & finalem. Alio item modo posset alia diuisio causæ immediateior excogitari: nam tres aliæ causæ præter finalem, conveniunt in hoc, quod conferunt ad esse effectus per realem influxum, ideoque requirunt existentiam realem ad suas causalitates, ut postea videbimus: causa autem finalis influit intentionaliter: ideoque causare potest antequam in se realiter existat. Recte igitur diuidi potest causa immediate in realem, & intentionalem, strictè sumendo in priori membro illum terminum realem: nam si sumatur in tota sua latitudine & transcendentia, etiam causæ finali convenit. Et rursus causa realis diuiditur in intrinsecam quæ in materiam & formam, & extrinsecam, quæ est efficiens, & peculiari ratione, & quasi per antonomasiam dici potest extrinsecæ: nam licet finalis causa comparata ad formalem & materiale, extrinsecæ etiam sit, comparata tamen ad efficientem, est quodammodo intrinsecæ: nam habitudo ad finem est magis intrinsecæ unicuique rei, & in quibusdam est etiam essentialis.

Quatuor causæ membra, an atoma.

XX. DE quinto puncto pauca hoc loco dici possunt, donec de singulis causis tractemus: & ideo breuiter dicendum est, hanc non esse diuisionem in vltimas rationes causæ: nam sub quocunque illorum membrorum dari possunt varix diuisiones. Causa enim materialis quædam est pura potentia alia vero est tantum potentia secundum quid. Quæ non est diuisio tantum materialis (ut ita dicam) secundum entitatem, quæ est causa, sed etiam est formalis in ratione causæ materialis. Nam de ratione formalis illius est, ut sit potentia, & ideo secundum diuersam rationem potentix receptiux, erit diuersa ratio causæ materialis, quæ diuersitas attendi etiam potest ex effectibus: nam illa prior est causa materialis substantiæ, posterior vero accidentium. Vnde prior dici potest causa materialis simpliciter, posterior vero secundum quid, sumendo hæc voces non ex entitatibus talium causarum, sed ex habitudine ad effectus: nam quoad entitatem materialis causæ accidentium esse potest ens simpliciter, seu substantia integra: materialis autem causa substantiæ tantum esse potest ens secundum quid, tamen quoad causationem seu habitudinem causæ hæc causat ens simpliciter, illa secundum quid. Rursus materialis causa substantiæ diuiditur in materia corruptibilem vel incorruptibilem substantiarum: causa vero materialis accidentium diuidi potest, vel in corporalem & in spiritualement, vel in proximam, aut remotam, vel in eam, quæ in se fit accidens, vel quæ sit substantia, aut partialis, aut integra: de quibus omnibus in proximis disputationibus dicam. Atque proportionali modo diuidi potest forma in substantialem & accidentialem, & vtrumque membrum subdividitur in varias formas, iuxta varietatem substantiarum compositarum, & accidentium. Causæ item efficiens, & finalis, quam plures sunt diuisiones, quæ non possunt hic breuiter recenseri, sed in propriis disputationibus.

XXI. Dices, si causa potest immediate diuidi in pauciora membra, & remotè in plura, cur Aristoteles potius quadrimembrem illam diuisionem, quam alias tradidit? Respondetur, hoc ipso quod illa diuisio est

media inter illa extrema, fuisse aptiorem ad doctrinalem diuisionem tradendam. Maxime, quia membra illa habent rationes, & modos causandi magis distinctos & notiores. Adde, Aristotelem non omnino omisisse, sed insinuasce satis, tam convenientias harum causarum inter se, quam diuisiones earum, ut excitatis locis constat.

Qualis sit data diuisio.

IN sexto puncto auctores omnes, supponendo potius, quam probando, vel disputando, docent, illam diuisionem causæ esse Analogam, & propter eam causam dicunt non fuisse causam in communi ab Aristotele definitam. Non tamen declarant satis modum, aut rationem huius Analogix: neque à nobis declarari potest, donec rationes singularum causarum exactè tractentur. Et ideo nunc supponamus, sententiam illam veram esse ex communis sententiæ auctoritate: & ex hac generali ratione, quod illi modi causarum communes sunt causis accidentium, & substantiarum, quæ non possunt esse vniuocæ causæ, quia non dant vniuocè esse, vnde nec ratio effectus vniuoca esse potest in accidente & substantia: exactiorem vero huius Analogix declarationem in prædictum locum remitto.

DISPUTATIO XIII.

De materiali causa substantiæ.



Reatermitto disputationem in comuni de causa materiali, ut abstrahit à causa substantiæ, vel accidentis: quoniam potissima ratio huius causæ cernitur in materia prima: & si in illa declaratur, facile erit reliqua cum proportionem intelligere. Neque timenda est aliquorum censura, qui existimant tractationem de materia prima nullo modo ad Metaphysicum pertinere, sed ad solum Physicum, iam enim in superioribus, præsertim in proœmiali disputatione, declaratum est, multis titulis negotium hoc ad Metaphysicum spectare. Quoniam licet Physicus sub propria & speciali ratione agat de materia, ut est principium generationis naturalis, & ut est causa, vel pars entis naturalis: nihilominus Metaphysicus, considerando communem rationem causæ materialis, quod illius proprium est, necessario agit de prima causa illius generis, quæ est materia prima. Item agens de essentia substantiæ, necessario tractat de materia, quatenus est pars essentix, ut infra videbimus, tractando de substantia materiali. Hoc ergo loco sub hac consideratione de materia tractamus. Et quia ratio causandi intelligi non potest, non intellecta entitate materię, inuestigabimus prius, an sit materia: deinde qualis sit entitas, & essentia eius, postea de proprietatibus, ac tandem de causalitate eius.

SECTIO I.

An sit evidens ratione naturali dari in entibus causam materialem substantiarum, quam materiam primam nominamus.



Quoniam materia prima duo includit, oportet ante omnia exponere significationem vocis quoad vtramque partem. Materia ergo diuidi solet in materiam ex qua, in qua, & circa quam. Quæ diuisio varijs modis explicari potest: primo, ut non sit diuisio rerum, seu materialium, sed respectu ac officiorum eiusdem materię.

Eadem

infima, sit causa principali diuisione partium.

XXII.

Varia interpretatio partium.

Eadem enim materia dicitur ex qua, vel respectu compositi, quod ex illa constat, vel respectu forme, quæ ex illa educitur. Vnde priori respectu corpus hominis est materia ex qua, non tamen posteriori consideratione, quia forma hominis non educitur ex potentia materie. Vnde respectu talis forme dicitur materia, in qua introducitur forma: ita ut illud in qua, dicat respectum unionis, non educationis. Potest etiam illud in qua abstractè sumi, ut includat habitudinem ad formam ut inhaerentem materie. Respectu vero agentis dicitur eadem materia, circa quam agens operatur. Iuxta hanc ergo interpretationem terminorum nullum membrum ex dictis à presenti consideratione excluditur, agimus enim de materia secundum se, vel prout in suo conceptu adæquato omnes illas habitudines includit: an vero illæ pertineant ad varias causalitates, & ex natura rei distinctas, postea videbimus. Aliiter sumi solet materia circa quam, prout distinguitur à materia ex qua, & in qua secundum realem unionem & inhaerentiam: & sic propriè dicit respectum ad agens actione immanente, & nihil aliud est quam obiectum, circa quod tale agens versatur. Quæ significatio materie Metaphorica est, & nihil ad præsens refert, quia illa ut sic non exercet causalitatem materialem, sed vel efficientem, vel finalem, ut supra tetigimus: non est ergo hic sermo de materia obiectiva, sed de subiectiva.

II. Rursus solet materia ex qua diuidi in transeuntem & manentem. Priori modo dicitur lignum, v.g. materia ex qua fit ignis, & in ea significatione illud, ex qua non designat tantum habitudinem cause materialis, sed includit etiam habitudinem termini à quo: & ex hac parte non pertinet illa significatio ad præsentem disputationem. Materia autem manens, est propria & interna causa materialis, quæ manet in composito, seu in termino generationis, conferens solummodo ad constitutionem illius. Denique diuidi solet materia in Metaphysicam, & Physicam: Metaphysica est genus respectu differentie: illa vero appellatio solum est per Analogiam & proportionem ad materiam Physicam, quæ est propriè & simpliciter materia, de qua hic agimus: de Metaphysica vero præterea, quæ diximus supra agentes de unitate vniuersali, addemus aliqua disp. 15. sect. ult. agentes de forma Metaphysica.

III. Prima vero dici potest materia, & per negationem prioris, & per respectum ad secundam: quia ergo materia dicit rationem subiecti, illa dicitur prima, quæ nullum prius subiectum supponit: & ita Aristoteles 1. Physicorum, c. 9. definiuit materiam esse primum subiectum ex quo fit aliquid. Materia autem secunda dicitur, quæ prius subiectum supponit. Atque ita multi vocant substantiale compositum materiam secundam respectu accidentium, quia ita est subiectum accidentium, ut ex priori subiecto constet: & simili ratione, qui plures formas substantiales in eodem supposito admittunt, compositum, verbi gratia, ex materia & forma corporeitatis vocant materiam secundam respectu animæ. Sæpe etiam vocatur materia secunda, materia disposita seu affecta dispositionibus accidentalibus, non quia compositum ipsum ex materia & accidentibus, sit subiectum, in quo recipitur forma, sed solum, quia receptio talium dispositionum antecedit ordine naturæ, & constituit materiam proximè capacem talis forme, vnde propriè vocatur talis materia, proxima: Aristoteles vero 8. Metaphysicorum, textu 11. materiam propriam seu proximam vocauit materiam transeuntem accommodatam ad rei generationem, ut videtur est materia acetii, de qua materia ait Commentator 2. Physic. comm. 31. esse materiam alterationis, non compositionis. Omnis itaque materia secunda supponit primam, & addit aliquam formam vel dispositionem.

Questionis resolutio.

Atque hinc constat, si in communi, & quasi formaliter loquamur de materia prima, id est, de primo subiecto mutationum, vel formarum abstractè hendo à quaestione quale sit tale subiectum, qualisve forma, quæ in eo recipitur, sic tam euidenter dari materiam primam, quam est euidenter, dari in rebus mutationes ad varias formas, quia omni mutationi aliquod subiectum supponitur, ut supra probatum est, & experimento constat. Igitur vel illud subiectum supponit aliud, vel non, si non supponit, illud est primum, & habetur intentum. Si vero supponit aliud, quæram de illo: est autem euidenter non posse procedi in infinitum: ergo necessariò sistendum est in aliquo primo subiecto, seu materia prima. Minor propositio vltimò assumpta demonstratur ab Aristotele de omnibus causis in lib. 2. est tamen quodammodo euidentior in causa materiali, quæ est in infinitum totius compositi fundamentum, non potest autem intellectu percipi compositum per se stans, cuius vna pars nitatur in alia, & alia rursus in alia, quin tandem sitatur in aliqua, quæ cæteris substat. Cum ergo omne naturale compositum ita per se sit, ut secundum se totum non pendeat in genere cause materialis ab aliquo subiecto, quod extra ipsum sit: necesse est, ut intra se habeat aliquod subiectum, quod sit primum respectu omnium aliarum entitatum, ex quibus constat, & in subiecto sunt. Sicigitur euidenter est dari materiam primam, seu subiectum primum in rebus naturalibus.

Secundò principaliter probatur, nam est euidenter res generabiles & corruptibiles ita transmutari, ut alia ex alijs vicissim ac mutuo generentur, saltem mediata: ergo necesse est, ut in aliquo communi subiecto conueniant, quod in omnibus ipsis maneat, ratione cuius sint capaces illius mutue transmutationis: ergo illud subiectum est primum, atque adeo prima materialis causa huiusmodi rerum. Antecedens est euidenter experientia: nam elementa mutuo inter se agunt, & vnum in aliud conuertitur, siue mediata, siue immediata, & multa etiam ex eis generantur: & consequenter in ea etiam resoluitur: atque ita fit, ut omnia sublimaria, quantum est ex vi sua naturæ, & compositionis, mutuo sint transmutabilia. Dico, quantum est ex vi naturæ sue, quia fieri potest, ut aliqua partes elementorum nunquam transmutentur, eo quod sint in abditijs, & remotissimis locis, ad quæ actiones contrariorum agentium non perueniant.

Prima consequentia probatur primo, quia nulla transmutatio naturalis fieri potest, nisi manente communi subiecto sub utroque termino: tum quia alias res, quæ corrumpitur, omnino secundum se totam periret, & alia, quæ incipit esse, secundum se totam fieret: atque ita altera transiret in nihilum, altera ex nihilo fieret, nulla communi re sub utraque manente: annihilaretur ergo vna, & crearetur alia, quod naturaliter est impossibile. Tum etiam, quia alias tota actio agentis naturalis esset vel impossibilis, vel impertinens ad rerum generationem. Sequela declaratur, quia loqui possumus vel de accidentali alteratione, quam experimur: quam euidenter est non fieri, nisi in subiecto, & ex subiecto communi, quod manet sub utroque termino: quia experimento constat, hanc actionem non fieri, nisi subiectum supponatur: accidens enim, quod per illam fit, non potest naturaliter esse nisi in subiecto, quod sustentet tam actionem, quam formalem terminum eius, à quo subiecto expellitur forma, vel priuatio opposita: datur ergo commune subiectum in huiusmodi actione, vel loquimur de actione illa, seu transmutatione substantiali, quæ fit in termino alterationis, in quo res quæ perit, amittit esse simpliciter, quod antea habebat, & res alia simpliciter incipit, ut cum

ex st.

exstupa sit ignis. Et ibi etiam necesse est subiectum commune manere, alioqui tota præcedens alteratione, seu calefactio stupæ, esset impertinens ad procreationem ignis, quia nullo modo conferret ad illam, si omnino periret ipsa, & totum subiectum eius: sed ad summum posset deferuire ad euacuandum locum seu spatium, in quod posset res procreanda introduci: ad hoc autem impertinens esset destructio rei: sufficeret enim localis expulsio, quæ fieri posset per introductionem alterius rei in illud spatium, ut in motu locali fit.

Esset etiam impossibilis talis destructio rei per alterationem, quia accidens non potest, per se loquendo, destruere subiectum suum, cum ab illo sustentetur, & accipiat esse. Vel ergo subiectum illud est simplex, vel compositum: si est simplex, nullo modo potest per actionem, vel per accidens, quod in ipso fiat, destrui, quia illud esse est necessarium, ut talis actio, vel tale accidens possit. Si vero subiectum illud est compositum ex priori subiecto, & alia forma, poterit quidem destrui ratione alterationis, & accidentis in illud introducti, non tamen per se, sed per accidens rationis alterius actionis & formæ consecutæ ad priorem alterationem: hæc autem consecutio intelligi non potest, nisi subsequens forma introducatur in idem subiectum, in quo erat prior, quia aliàs nulla esset causa cur dissolveretur vnio inter prius subiectum & formam eius: ergo tota hæc naturalis transmutatio necessaria fundari debet in aliquo communi subiecto, quod sub viroque termino maneat.

Potestque hoc ipsum declarari inductione facta in aliquibus transmutationibus: cum animal, verbi gratia, alitur ex cibo, vel aliquid cibi maneat in hunc nutritionis, & coniungitur substantiæ viuenti: vel omnino destruitur cibis, & totum quod in illo est, per actionem viuientis. Si nihil cibi maneat, superflua est tota actio viuientis, nihilque ex cibo iuari potest, ut inde vel crescat, vel confortetur, quia ex eo, quod perit in cibo, nihil confortatur, vel crescit. Si vero aliquid cibi maneat, illud esse non potest, nisi communis materia vel subiectum. Idem argumentum sumi potest ex visibili, & impropria nutritione ignis, non enim crescit, nisi supponantur ligna, vel aliquid simile, nec conferuatur, nisi nutriatur oleo, aut simili materia: hæc ergo materia non potest esse transiens secundum se totam, aliàs esset inutilis, nullæ ratio reddi posset, cur sit necessaria ad tales effectus, neque declarari, quid ad illos conferat: est ergo illa materia aliquo modo manens sub forma rei genitæ seu nutritæ: manet ergo secundum aliquod subiectum commune.

Quod tandem confirmatur, quia aliàs rerum transmutatio non esset corruptio & generatio, sed transubstantiatio quædam, quia tota substantia vnus rei periret, & tota alia inciperet. Imo plus esset, quam transubstantiatio: quia non solum in totalibus substantiis, sed etiam in omnibus earum accidentibus esset in illa successio: quia si nullum subiectum commune maneret, multo minus manere posset naturaliter idem accidens, quod à suo subiecto pendet in esse & conferuari. Hoc autem genus transmutationis alienum est ab omni Philosophia, & ab omni actione naturali: & præter rationem annihilationis, & creationis, quam includit, ut supra dicebam, non potest cogitari ratio, cur illa duo sint ita connexa in rerum natura, ut ad vnus productionem necessaria sit destructio alterius, & econuerso: non est ergo transmutatio naturalis per totalem destructionem, & inceptionem, sed per transformationem ex aliquo communi subiecto. Et ad hoc fere tendit demonstratio Aristotelis, quod hæc transmutatio semper sit contrariis in contrarium (sub contrariis includendo priuatiue opposita) quæ subiectum habent commune. Est ergo eu-

dens dari subiectum, seu materialem causam communem.

Superest probanda secunda consequentia principalis rationis, qua inferebatur, hanc materiam esse primam causam in suo ordine, eoque sensu verificari, si appellari primam materiam: hoc autem nullo euidentiori modo ostendi potest (quidquid aliqui velint) quam supra tacto, scilicet, quia non potest procedi in infinitum in subiectis proximis & remotis, seu in subiectis, & subiectatis (ut ita dicam) sed sistendum necessario est in aliquo subiecto, quod non subiectetur, neque etiam componatur ex parte, quæ in subiecto sit, quia omne tale compositum resolui tandem potest in simplicia, in quibus aliquid esse oportet, quod omnino in subiecto non sit. Neque supponit hic discursus, quod in formis substantialibus eiusdem compositi non sit processus in infinitum: nam, etsi hoc etiam euident sit, tamen si per impossibile fingerentur infinitæ formæ in eodem composito, ex parte potentie recipientis eas necessario sistendum erit in aliquo subiecto simplici, quod non sit in subiecto, quia tota collectio talium formarum est in aliquo subiecto, ergo illud est simplex, ut magis statim demonstrabimus, hoc ergo vocamus materiam primam. Præter hoc autem potest etiam illa consequentia probari ex communitate huius subiecti: cum enim omnia hæc inferiora mutuo transmutentur immediate, vel saltem mediata, ut dictum est, necesse est, ut subiectum illud, quod his transmutationibus supponitur, sit primum in ratione subiecti seu materiæ: nam si esset ex alio priori subiecto, vel materia constans, vel illud esset etiam transmutabile: & sic non esset commune subiectum omnium transmutationum, sed illud, quod maneret post resolutionem eius, vel non esset transmutabile: & sic non omne corporeum ens esset transmutabile in quodlibet aliud: cuius oppositum supponebamus, sed de hoc latius sectione tertia.

Ex dictis ergo omnibus generatim probatum relinquitur in omni transmutationum ordine dari esse primam aliquam causam materialem: non potest autem ex dictis concludi dari veram materiam primam, quæ sit causa materialis alicuius substantiæ, nisi aliquid adiungatur. Vnde discursus facti formaliter sumpti, æque probant dari in vnoquoque corpore celesti aliquod primum subiectum earum mutationum, quæ in ipso fiunt: imo etiam cum eadem proportionem idem probant de quauis substantia spiritali quatenus est capax realis mutationis, vel localis, vel intellectualis, aut affectiue: nam licet illa mutatio non sit corruptiua, sed perfectiua, necessario tamen supponit aliquod subiectum: & ideo necesse est, ut reducatur ad aliquod subiectum primum in suo ordine, quod etiam appellari potest prima causa materialis illius mutationis, quamuis non vocetur materia prima iuxta communem vsum huius vocis: proprie enim significat materiale principium substantialis transmutationis, vel constitutionis. Ex quo etiam fit, ut licet res, quæ aliquo modo transmutantur, habeant materialem causam suæ transmutationis sibi proportionatam, tamē si transmutatio non sit vnus rei in aliam, ex vi transmutationis non poterit concludi dari aliquam primam causam materialem communem huiusmodi rebus, ut licet Angeli habeant primum subiectum suarum mutationum, & res corporales similiter, tamen quia neque hæc possunt in Angelos transmutari, neque econuerso, non potest ex transmutatione concludi dari aliquod primum subiectum commune omnibus illis. Eademque ratio est de corporibus celestibus, & sublunaribus, quia neque hæc in illa transire possunt, neque econuerso: imo idem est de cælis ipsis inter se, quia non sunt mutuo transmutabiles, sed vnumquodque in se tantum potest accidentaliter mu-

X.

Ex resolutione ad omnem primam materiam veram.

XI.

Illatum ex omnibus præmissis.

ter mutari. Quod ipsum à fortiori verum est in spiritalibus substantiis creatis. In his ergo omnibus solum concluditur, dari vnum commune subiectum accidentium, inter quæ sit mutatio. In his autem inferioribus substantiis & corporibus, quoniam mutatio transmutabilia sunt, recte concluditur aliquid commune & primum subiectum. Vt autem concludatur hoc subiectum esse materialem causam ipsiusmet substantiæ talium rerum, necesse est addere illam mutuam transmutationem earum inter se esse secundum substantiam, & non tantum secundum accidentia, quia si in solis accidentibus transmutarentur, satis esset in eis dari primum subiectum talium accidentium, siue illud esset substantia simplex, siue composita, & siue esset vnius rationis in omnibus, siue diuersæ.

XII.

Non acciden-
tali modo,
sed substan-
tiali etiam
in rebus
transmuta-
tio.

Ad concludendum ergo dari materiam primam, qualem Aristoteles posuit, restabat probandum, transmutationem horum corporum inferiorum, quam experimur, non solum esse accidentalem, sed etiam substantialem. Hoc autem præter experientiam, quæ per se videtur satis euidens, non solum in elementis, & in mixtis inanimatis, sed multo magis in viuiculis, animalibus, & in nobis ipsis cum generamur, & morimur: præter hanc (inquam) experientiam, ratione probandum est ex necessitate formarum substantialium ab accidentibus distinctarum: nam si dantur hæc formæ, necesse est dari materiam primam, quæ sit subiectum earum, & cum eis componat vnam substantiam integram, quod est esse causam materialem substantiæ. Dari autem formas substantiales, probandum est infra disputat. 15. & ideo nunc supponatur: & tantum ex ea hypothese demonstratum habeatur dari veram ac propriam materiam primam in his rebus, quæ generantur & corrumpuntur: est enim conclusio euidens, & omni carens difficultate: antecedens vero dicto loco probandum est.

SECTIO II.

Verum materialis causa substantiarum generabilium, & corruptibilium sit vna vel multiplex.

I.



In hac sectione & sequenti breuiter attingenda sunt opiniones veterum Philosophorum, quas Aristoteles variis in locis late pertractauit, atque impugnauit, præsertim in Metaphysicæ, capi. 3. & sequentibus, & 1. Physicæ à capite 2. & 1. de Generatione c. 1. & sequentibus & 3. de celo, ca. 7. & apud Diogenem Laertium in vitis horum Philosophorum, eadem leguntur: & apud Platonem in Theeteto & Sophista, & Plotinum libro 9. Æneid. 2. & Theophrastum in sua Metaphysicæ. 3. & Plutarch. libro 1. de placitis, c. 3. & ex Patribus attigit Augustinus libro 8. de Ciuit. à principio, & Epiphani. libro 3. contra hæres. in 80. & Irenæus lib. 2. cont. hæres. c. 19. & Clem. Rom. libr. Recognitionum, & Clemens Alexandr. libr. 1. Stromat. Et Eusebius 14. de præparat. Euangel. à principio, & Ambrosius libro 1. Exam. c. secundo. Horum itaque Philosophorum sententias ad duo capita reuocamus: vnum eorum, qui posuerunt plura materialia prima principia, de quibus hic agemus: aliud eorum, qui vnum tantum posuerunt, sed in eo assignando errarunt, de quibus dicemus sectione sequente.

Sententia infinita principia materialia constitutum.

II.

PRIMA igitur sententia fuit, materialem causam rerum omnium constari ex corpusculis indiui-

sibilibus seu atomis, quæ posuerunt esse in infinita. Leucippus, Democritus, Epicurus, Metrodorus, & Anaxagoras. Qui fere omnes censuerunt hæc corpuscula esse similia inter se, & eiusdem rationis, solum pro varietate situs, figure, & ordinis varia entia componere: & rerum corruptionem nihil aliud esse quàm dissipationem seu inordinationem atomorum: generationem vero esse nouam compositionem earum. Anaxagoras vero posuit atomos partim similes, partim dissimiles, vt ex similibus res homogeneæ fierent, ex dissimilibus vero res dissimiles, vt in corpore organico partes heterogeneæ, v. g. caro ex atomis carnis, os vero ex ossibus, & sic de aliis. Rursus videntur quidam eorum posuisse has atomos omnino indiuisibiles: & ideo vt possent corpus componere, aiebant non solum ex ipsis, sed etiam ex aliquo vacuo, seu inani corpore coalescere: nam si illæ omnes immediate & solide coniungerentur, nunquam moles accresceret, vt sumitur ex Aristot. 1. Metaph. 4. Alij vere non videntur illas posuisse Mathematicè indiuisibiles, seu Physicè tantum, iuxta quam interpretationem non est necessarium interponere aliquod inane inter ipsas atomos, vt ex eis corporis magnitudo excreceret. Rursus ex his Philosophis quidam nullam efficientem causam rerum præter has atomos posuisse, neque etiam finalem, sed ex earum vario concursu, & perpetua agitatione res quasdam dissolui, & alias casu consurgere: & ideo, vt Aristot. refert, Epicurus dixit habere hæc corpuscula naturale pondus, quo semper ferrentur. Alij vero, vt Anaxagoras, posuerunt efficientem causam intellectu & voluntate operantem, & ex his corpusculis varia componentem.

Sed hæc pars spectat ad disputationes de causis efficiente, & finali. Nunc; quod ad rem præsentem spectat, hi Philosophi imprimis non cognouerunt veram materialem causam, quæ sit potentia Physicè receptiua alicuius actus: nam illæ atomi non sunt in potentia ad recipiendam aliquam formam Physicam, nec possunt dici materia totius compositi, nisi eo modo, quo partes integrales dicuntur materia totius, & lapides ac ligna materia domus. Vnde vltimius sit, vt iuxta illam philosophandi modum forme naturalium entium, quasi artificia es tantum sint, nimirum figuræ quædam consurgentes ex vario situ, & ordine atomorum. Atque ita nulla erit vera substantialis generatio, & corruptio, sed tantum varia coordinatio, aut deordinatio atomorum: Et quamquam Anaxagoras ponat atomos diuersarum rationum, tamen necesse est, vt omnes ponat confusas, & permixtas in singulis rebus, vt per educationem earum possit ex vna re, alia generari. Atque ita res omnes solum in hoc differunt, quod quædam habent quædam atomos magis patentes seu in exterioribus partibus: alias vero magis latentes, & in partibus secretioribus: quæ tota diuersitas solum est in situ, & coordinatione atomorum. Adde intelligi non posse, quomodo tam varia corpuscula habentia repugnantes conditiones, in singulis rebus intime coniungantur. Nec minus est inexplicabile, quomodo ex qualibet re hæc corpuscula latentia in lucem proferantur, vt res aliæ gigni, vel potius componi videantur.

Illud etiam est absurdum in his omnibus Philosophis, quod infinitam multitudinem ponant horum corpusculorum: nam vel intelligunt in singulis entibus naturalibus esse infinitam multitudinem harum atomorum, vel solum in toto vniuerso: in singulis vero corporibus, aut partibus eius esse finitam multitudinem. Priori sensu est sententia prorsus absurda: non enim possent infinitæ atomi componere aliquod corpus, quin illud excreceret in infinitam magnitudinem: nam si atomi non fingantur indiuisibiles Mathematicè, sed Physicè, habebunt singulæ aliquam magnitudinem, in qua vel omnes erunt æquales, quia nulla est inæqualitatis ratio, vel

falsam